

193. Ait Deus populo suo per Ezechiel. 23. n. 33. Ebricitate, & dolore repleberis, calice mavoris, & tristitia. Septuaginta, Calice mavoris & perditionis. Hebraeus: Calice solitudinis, & vastationis. Ex quo considera quod eodem vocabulo intelligitur tristitia, quo & vastatio, ac perditio; ubi enim tristitia hominis animum occupat. statim omnium illius fit perditio, ac devastatio: proxime citatus D. Chrysostrum, sic ait: Tristitia animam crudele tormentum est; dolor quidem inexplicabilis, iudicium omni iudicio, vindictaque deterius; Nam & vermi est similis veneno, non solum modo carnem, sed & animam ipsam perimens, & tinea non solum ad ossa, sed & corda vertigens, & perpetuus qui iam carnifex. Unde pessimus ille Antiochus morti proximus dicebat de se: En pereo, tristitia magna in terra aliena, 1. Machab. 6. n. 13.

QUESTIO XXV.

Quare Apostoli pati, & flagellari pro Christo habent pro magna dignitate?

194. Ait Textus: Flagellati Apostoli ibant gaudentes a conspectu Consilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. Christus D. suos duodecim discipulos elegit in Apostolos supremam Ecclesiae dignitatem, Luc. 6. n. 14. Eis sic electis dedit potestatem curandi infirmos, eiciendi daemones, &c. Marc. 3. n. 15. Et tunc non dicitur, quod gaudent, quia digni habiti sunt tanta dignitate, tantaque potestate, sed modo quia digni habiti sunt pro Jesu contumeliam pati, ac si ipsum pati contumeliam pro Jesu ipsis in maiore honore, ac excellentia sit, quam quacumque alia etiam suprema dignitas, ac potestas; ad hoc spectat id quod ait D. Methodius apud Theodoret. Dialog. 1. dum ait: Adeo enim admirabile, & omni studio expetendum est martyrium, quod ipse Dominus Jesus filius Dei, se eo honorari testatus sit. Non rapinam arbitratus est, se esse aequalem Deo, ut etiam hoc dono; hominem, ad quem descendit, coronaret. Tam excellens, & magnum donum est ipsum pro Deo pati, martyriumque sustinere, ut Jesus filius Dei veniens in mundum, non alio voluit coronari, nisi sua passione, sic ait Apostolus Hebraeor. 2. n. 9. Vidimus Jesum propter passionem mortis, gloria, & honore coronatum. Suosque non alia dignitate, ac honore voluit coronari, nisi passionis, ut etiam hoc dono hominem, ad quem descendit, coronaret.

195. Ait Paulus ad Philippenf. 1. n. 19. Quia nobis donatum est pro Christo, non solum, ut in eum credatis, sed etiam pro illo patiamini. Pro magno, & ingenti dono hoc vobis datum est D. Anselm. ibi sic ait: Vobis donatum est quasi praemium pro Christo, quem diligitis, non solum ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini ad cumulum gloriae. Expende illa verba quasi praemium, ac si ipsum pati pro Deo sit praemium tam magnifici operis. Ista consideratione pondera verba Apostoli: Vobis donatum est, ut in illo credatis, & pro illo patiamini. Supremum donum, quod Deus homini communicat in hac vita est lumen fidei, & tanto dono cohaerens, ut pro illo patiamini.

196. Dicunt Sodales, vel etiam Angelis, ut vult Alanus, & Chaldaicus; Soror nostra parva, & ubera non habet, quid faciemus sorori nostrae in die, quando alloquenda est. Cantic. 8. n. 8. Communiter Patres, ut Aponius Philo, Carpati, Honoratus, Hortolanus referunt haec verba ad Ecclesiam, quando tempore tyrannorum Neronis, Diocletiani, ac etiam Antichristi Ecclesia in suis filiis ad tribanalia illorum

adducta loquenda sustinens, & patiens tot, & tantas persecutiones, ac adversitates, quales nunquam fuerunt, nec erunt ab initio, pro quo stat lectio R. Salomonis, quae ita habet: In die, quo gentes confisia agitantur de ea delenda. Hoc posito in quaestionem voco cur sancti Angeli inter se quaerunt, & discutunt: Quid faciemus sorori nostrae, in quo nempe loco, dignitate, ac honore, eam constituamus in die quando alloquenda est cum crudelissimus tyrannis, eorum crudelissimas adversitates, ac persecutiones sustinens, cur hoc non discutunt, & quaerunt, quando audiunt eam, ut electam Sponsam, ad magnificam, & excellentem totius gloriae coronam: Veni sponsa mea coronaberis, Cantic. 4. n. 8. Sed modo inter tantas contradictiones cum consilia agebant de illa delenda, ac sic majorem dignitatem in ea recognoscant eum patitur inter tribulantes adversarios suis flagellis, ac verberibus; quam cum inter triumphantes Angelorum choros, ut electa Sponsa glorifica coronam sublimatur, indeque pro tanta dignitate, inter adversariorum persecutiones decantantur ei gratulationes: Carpatius ait: Quid faciemus, sunt voces Patriarcharum; Apostolorum, Prophetarum, ac Doctorum ipsi gratulamini.

Tres illi sancti pueri Ananias, Misael, & Azarias sanctissime vivunt cum omni puritate, castitate, jejuniis, orationibus, tamen cum mittuntur in fornacem-Babylonicam, exclamans Rex ait: Ecce video quatuor viros solutos, & ambulantes in medio ignis, & species quarum similis filio Dei, Daniel. 3. n. 92. Ecce quanta est dignitas tribulationum, ac arummarum; non enim habent secum Deum, ut focium, ac collegam, veluti patrem omni cum virtute fulgent, sed cum flammis ignis sustinent. D. Chrysostrum, tom. 1. serm. de tribus pueris, ait: O quibus te incorrupta fides triumphis extendis; adest tibi unica majestas, ut innocentia liberaretur. Patitur se Deus cum pueris in supplicio numerari: Video tres viros. Expende illud numerari, ac si dicatur Deum cum illis tribus numerum facere, ac quaternarium complere.

CAPUT VI.

- 1. In diebus autem illis, crescente numero discipulorum, factum est murmur Graecorum adversus Hebraeos, eo quod despicerentur in ministerio quotidiano viduae eorum.
2. Convocantes autem duodecim multitudinem discipulorum, dixerunt: Non est aequum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis.
3. Considerate ergo fratres, viros ex vobis boni testimonij septem, pleno Spiritu sancto, & sapientia; quos constituamus super hoc opus.
4. Nos vero orationi, & ministerio verbi instantes erimus.
5. Et placuit sermo coram omni multitudine. Et elegerunt Stephanum virum plenum fide, & Spiritu sancto, & Philippum, & Prochorum, & Nicanorem, & Simonem, & Parmenam, & Nicolaum advenam Antiochenum.
6. Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus.
7. Et Verbum Domini crescebat, & multiplicabatur numerus discipulorum in Jerusalem valde: multa etiam turba Sacerdotum obediebat fidei.
8. Stephanus autem plenus gratia, & fortitudine faciebat prodigia, & signa magna in populo.
9. Surrexerunt autem quidam de Synagoga, quae appellatur Libertinorum, & Cyrenensium, & Alexandri;

- Alexandrinorum, & eorum, qui erant a Cilicia & Asia disputantes cum Stephano.
10. Et non poterant resistere Sapientiae, & Spiritui, qui loquebatur.
11. Tunc summisserunt viros, qui dicerent se audivisse eum dicentem verba blasphemiae in Moysen, & in Deum.
12. Commoverunt itaque plebem, & Seniores, & Scribas, & concurrentes rapuerunt eum, & adduxerunt in Concilium.

- 13. Et statuerunt falsos testes, qui dicerent: Homine iste non cessat loqui verba adversus locum sanctum, & legem.
14. Audivimus enim eum dicentem, Quoniam Jesus Nazarenus hic destruet locum istum, & mutabis traditiones, quas tradidit nobis Moyses.
15. Et intuentes eum omnes, qui sedebant in Concilio viderunt faciem ejus, tamquam faciem Angelum.

ARGUMENTUM.

RESCENTE numero credentium exortum est murmur Graecorum contra Hebraeos eo quod eorum viduae essent despectui in quotidiana distributione, & ideo Apostoli eligunt septem Diaconos, inter quos insigniter eminent Stephanus, qui raptus ad Concilium, resplenduit facies ejus, ut Angeli.

Act. 6. n. 1. In diebus illis crescente numero discipulorum factum est murmur Graecorum adversus Hebraeos, eo quod despicerentur in ministerio quotidiano viduae eorum.
Num. 2. Convocantes autem duodecim multitudinem discipulorum, dixerunt: non est aequum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis.

EXPOSITIO I.

1. Vers. 1. IN diebus illis, Aethiopic. In die illo, ut notat D. Chrysostr. in quibus Apostoli fuerunt incarcerati, flagellati, qui fuerunt paulo post ejus Ascensionem, anno Christi 34, ut advertit Lucius Dexter in Chronico, & cum Eusebio Baronius, quod tali anno fuerunt Diaconi creati.
2. Crescente numero discipulorum. Oecumen. Aethiopic. Cum multiplicarentur discipuli: Tunc in primitiva Ecclesia fideles non vocabantur Christiani, sed discipuli, ut notat D. Athanasius disput. contra Atrium. Crescente numero. Ipsa persecutio, sanguine Martyrum effusus erat tamquam semen, ut grex Christianus amplissimus, ac copiosissimus nos fructus germinaret. Tertullian. in Apolog. cap. ultimo ait ad Gentiles: Nec tamen nihil proficit, exequatur credulitas vestra, illecebra est magis sectae, plures effimur, quoties metimur a vobis, semen est sanguinis Christianorum. D. Hilar. lib. 7. de Trinit. inquit. Ecclesia proprim est, ut tunc vincat cum laeditur. Et D. Hieron. in vita S. Malchi cap. 62. Persecutionibus crevit Ecclesia Martyrii corona a. In Sanctis enim Martyribus tanta innocentia, fortitudo, charitas, ac pietas cum contemptu omnium terrenorum, evidens demonstratio erat, quod ibi aliquid divinum lateret.
3. Factum est murmur Graecorum. Aethiopic. Murmurati sunt Judaei, Vatabl. Murmur Graecorum. Omnes isti tam Graeci, quam Hebraei erant Judaei, qui vel in Graecia fuerant nati, vel in ea fuerant diu versati, Graecaque utebantur lingua, Graecisque moribus, & ad hos Apostoli Petrus, & Jacobus scribunt suas epistolas. Hebraei dicuntur nati in Judaea Hebraica lingua, ac moribus utentes. Ita Lyran. Hugo, Lorinus, & alii.
4. Eo quod despicerentur in ministerio. Syriacus: Eo quod despectui haberentur. Aethiopic. Quia videbant viduas eorum quotidie occupatas. Tota murmurationis occasio erat propter viduas Graecarum vel

non bene fiebat cum illis in distributione rerum vel quia in vilioribus officiis occupabantur, de quo dicam quaest. 2.

1. Vers. 2. Convocantes autem duodecim. Syriacus: Congregationem universam vocaverunt. Duodecim Apostoli utpote enutriti doctrina Regis pacifici Christi D. de pace. ac quiete agunt, quam debent maxime procurare omnes, qui Congregationibus praesunt. Dixerunt: non est aequum. Syriacus: Non est pulchrum. Graecus: Non est conveniens. Tigotina: Non est commendabile. Pagnin. Non est placitum Deo, Text. Nos derelinquere verbum Dei, ut omitteremus pascere animas vestras spirituali cibo verbi Divini, & attendamus temporali alimento mensis; semper enim spiritualia sunt temporalibus anteponenda ut ait Lyranus.
2. Ex quo patet, quod tota querela Graecorum pro viduis erat, circa administrationem temporalium. Ministrare mensis, pro quo nota: Mensa haec, vel erant sacrae, vel profanae, & communes. Primo in illa primitiva Ecclesia solebant fideles celebrare mensam sacrae Eucharistiae. Deinde Agapae, quod dixit, & significat mensam communem omnium fidelium, quod fiebat in signum Charitatis, & benevolentiae, & in utroque ministerio deputati Ministri erant Diaconi, & inde a verbo Graeco nomen habent, quod significat Ministrum.

QUESTIO I.

Quare crescente numero discipulorum exortum est murmur, & querela?

Quandiu discipuli erant in parvo numero, erat in eis cor unum & anima una, ut dicitur cap. 3. & 4. ad finem, cum vero crevit numerus, & facta est multitudo magna, pax, quae in paucis retinebatur, in multis dissipata est. Iai. 9. n. 3. Multiplicati gentem, non auxisti latitiam. Sanchez ex Hebraeo: Non auxisti latitiam.
8. Judaei in Graecia nati cum suspicarentur, quod suis viduis non aequaliter provideretur, cum illis, quae Judaeorum erant, qui in Judaea fuerant nati murmurabant; Sacri Apostoli summa aequitate ac providentia, omnia distribuiebant; tamen ipsi, qui daemones depellebant, mortem vincebant, cum mortis vitam darent, & gratitudines sanarent, verbo cuncta reformarent, non quiverunt in alimentorum, ac donorum distributione murmur, atque querelam evirare facile, qui cum ex qualibet circumstantia se existimat despectum

despectui habitum, cuius praesumptio animum exasperat, & querela pacem perturbat, & ideo summa cautela est necessaria.

Ad quod nos admonet supremus omnium Artifex in primo rerum motu; creavit primos parentes ut essent in carne una, matrimonio conjuncti ut aequales essent, eadem forma verborum, eademque methodo in utriusque creatione utitur, cum homo fabricatur; tamquam factio consilio ait Deus: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Genes. 1. n. 26. & cum ad mulieris structuram deventur idem verbum, tamquam in eo consilio, apponitur: Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi, Genes. 2. n. 18. Poterat Deus efformare mulierem uno verbo, ut produxit arbores, plantas, volucres caeli, pisces maris, dicendo: fiat mulier: poterat tamen ipsa conquiri esse despectam, & tamquam cetera ibanimata produci; ut ergo hac tanta aequalitate vitaretur, eodem verbo tanquam cum consilio utitur bonus Deus. D. Basil. Seleuc. orat. 2. sic ait: Iterum deliberatio, iterum consilium; iterum homo, qui formabatur illi dicebat: Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, hic quoque faciamus ei adiutorium simile sibi: haud dissimilia consilia. Etenim qui formabantur generis ejusdem erant, figura similes, quia pari pretio, quae se habent aequat cum dignitate.

Tertio D. Chrysof. homil. 14. in acta relatus in Glossa ait: Hoc non erat malum, sed multitudinis forsitan ignavia, Apostoli exactissima providentia d. str. buebant alimenta, nec in hoc aliquid peculiaris affectus subordinatio interveniebat, sed ipsa rerum ac munerum distributio querelas parturiebat; querela enim, ac querimonia certus electionis partus quam nec exacta Apostolorum integritas evitat, nec eorum circumsperta providentia comprimit, quod ex multitudinis ignavia, ut ait D. Chrysof. proveniebat, & ad hanc referendam, etiam saepe miracula requiruntur.

Ex mandato Dei dixit Samuel Saulem in Regem, & statim quod ipse Saul veniat in caetera Prophetarum. Et insitit in te Spiritus Domini, & prophetabis, & mutaberis in virum alium, 1. Reg. cap. 10. n. 6. Ut designatur Saul in Regem, statim admirabilis, ac supernaturali Propheta dono fulget? Ut ejus electio esset bene grata omni populo, sufficiens, & abundantius videbatur, quod Propheta Samuel testificaretur, Dominum ipsum elegisse, & non esse ei similem in universo populo citato cap. 10. n. 24. Ad quid ultra tam mirabile prophetiae signum? tam alte, ac sublime homo ex sua arrogantia de se praesumit, ac valde durum, ac agrum ei sit, quod alter in honore, ac dignitate ei praeratur, ita ut, ad hoc ut ejus invidia quiescat, animusque pacificetur, necessarium sit signum supernaturale de Caelo. Abulensf. ad citatum locum ait: Accidit hoc signum, ubi Saul maxime notus erat, ut qui eum prophetico spiritu afflatum divinitus viderent, regia dignitate pariter donandum minime dubitarent. Vide supra cap. 1. quast. 37. n. 264. 265. & q. 38. n. 271.

QUAESTIO II.

Quare non de adolescentibus seu uxoris excitatur querela, sed tantum de viduis?

Alit Textus: Eo quod despicuntur in ministerio viduano viduae eorum. Quod dupliciter accipi potest juxta communem Doctorum sensum. Primo active, ita ut mulieres Hebrae deputarent Graecas tanquam rudiores ad inferiora ministeria, ita ut

rato ministrarent. Secundo nempe quod viduis Graecorum non ita prompte, ac largiter daretur, atque divideretur, ut fiebat cum mulieribus Hebrais; uterque modus probabilis, secundus tamen probabilior.

Quaestio praesens est: Cur hoc murmur, & querela non excitabatur de adolescentibus vel de mulieribus uxoris, sed tantum de viduis? Quia haec maxime soler esse despitura, quod optime probat M. Didac. de Celada in Judith c. 9. n. 82. ex ipsa nominis etymologia; Vidua enim juxta radicem Hebraicam idem valet, ac aligata, vel obmuta; quia marito mortuo est veluti alligata, & vineta domi, ut sileat, & obtutescat, nec valet se defendere, & jus suum tueri. Ex radice graeca vidua est desolata, ac destituta, & ideo Judith 9. vers. 3. Orans dicebat ad Deum, ut haberet Anselm. laud. Domine Deus meus subveni mihi viduae desolatae. Multa, & magna merita poterat Judith allegare, ut a Deo exaudiretur, tamen solum se viduam proponit, ut ipsa ex suo statu desolata, ac destituta maxime divinam sollicitudinem benignitatem. Hinc a Davide, ut notat Carthusianus, Psalm. 67. n. 6. Pater orphanorum, & iudex viduarum appellatur Deus, quod juxta Tertullian. lib. 1. ad uxorem cap. 7. exponitur assertor, ac vindex viduarum. Hinc David Deum clamat: Pupillam, & viduam suscipiet, Psal. 145. n. 9. quod ex Hebraeo explicans D. Hieronymus ait: Exaltans, erigens, confortans, succiens, adjuvans, scilicet pupillum, & viduam, ac si hoc sit magnum divinitatis elegium, quod ipsos pupillos, & viduas tam desolatas, ac destitutas prospiciat, adjuvet, & faveat.

Iterum redeo ad illa verba citati Psalmi 67. Patris orphanorum, & iudicis viduarum, pro iudice habet alia litera: Adversor, seu defensor viduarum, consequenter videbatur dicendus Pater orphanorum, & sponsus, seu maritus viduarum, sed solum Deum vocat assertorem, seu defensorem viduarum, veluti mariti substitutum, quod eleganter notavit D. Chrysof. scribens ad viduam juniorem ait: Quoniam vero illam (maritum Therasum) ad se vocavit Deus, ipse nunc illius loco se tibi substituit; neque hoc meum est, sed beati Prophetae, qui ita inquit: Pupillum, & viduam suscipiet, ac rursus ipsum vocat Patrem pupillorum, & iudicem viduarum. Vnde ergo, sicut dicitur Pater orphanorum, non dicitur sponsus viduarum, sed substitutus loco illius; ne gloriam, & excellentiam viduitatis minuat, dum permanens in suo statu, in puritate, ac castitate, & patientia obtineat, ideo non sibi arrogat Deus mariti nomen, sed illius substitutum, ut perseverans vidua multum omnium virtutum radiis resplendat. Ipse nunc illius loco se tibi substituit.

Totus mundus premebatur vehementi fame, & sua ingenti pietate subvenit Deus; forsitan non mulieribus uxoris, vel adolescentibus, sed uni tantum viduae pauperulae, cum magnus Elias accederet ad portas Civitatis, apparuit ei mulier vidua, & vocavit eam; dixitque ei, Da mihi paululum aquae in vase, ut bibam, & affer bucellam panis. 3. Reg. 17. n. 10. Quae verba pulchre expendit D. Ambros. lib. de viduis paulo post initium, & ait: Quid vero illud quod temporibus istis, quibus fames omne genus urgebat humanum Elias ad viduam destinatus est? Et vide quemadmodum propria singulis gratia reservatur Angelus ad virginem, Propheta ad viduam: Adde quod Gabriel illic, hic Elias, ut ex Angelorum, & Prophetarum numero praestantissimi Principes videantur electi. Considera suprema, & alta mysteria; ad Virginem Mariam ut supernam omnium Reginam, & ad supremum negotium, supremus Angelus mittitur, & ad viduam pauperulam pro ratione sui status, mittitur Propheta Elias: Vide quemadmodum proprias

pria singulis gratia reservatur. Ad supremam Virginem supremus Angelus, ad viduam in supremo viduitatis statu supremus Prophetarum: Gabriel illic, hic Elias, ut ex Angelorum, & Prophetarum numero praestantissimi Principes videantur electi. Vide quae dixi tom. 3. in Evang. cap. 1. q. 8. per totum.

Nam. 4. Nos vero orationi, & ministerio Verbi instantes erimus.

Versiones

CVM EXPOSITIONE II.

Vers. 3. Considerate. Syriacus: Exquirite. Graecus: Prospicite. D. Chrysof. Circumspicite: Ecce prima conditio ad bonam electionem, ut fiat non repente, sed alta, & magna consideratione, ac indagine, ut id nos docet supremus omnium Magister Christus D. qui antequam eligeret Apostolos: Erat pernoctans in oratione Dei, Luc. 6. n. 12. Vide supra cap. 1. q. 37. Viri: ecce secunda conditio; nam mulieres excluduntur ab Hierarchia Ecclesiastica, ait Glossa interlinealis viros, id est virili, & forti animo praeditos, ut ait D. Bernard. lib. 2. de confid. ut ad se advocent bonos, & indignos rejiciant sine acceptatione personarum. Et vobis tertia conditio, quos melius cognoscitis quam extraneos, ut ait Lyranus, qui bene noti sunt a vobis, Unde Deus dicebat populo suo per Oseam 1. n. 15. Dabo vobis viros meliores eorum loco.

Boni testimonii. Syriac. Vatabl. Bono testimonio probatos. Tigurina: Specta a probatis. Arabicus: Quorum virtus testimonio probatur. Ecce quarta conditio, ut eligantur viri probae vitae, fidei, ac prudentiae; ex quo praclare movent D. Bernard. serm. 4. de Confid. Operes eligi viros probatos, non probandos.

Septem, nam sicut in Ecclesia triumphante septem sunt Angeli, qui tanquam primarii Ministri assistunt ante Thronum ad ministeria, Apocalyp. 1. n. 4. ita in Ecclesia militante eliguntur septem Diaconi, id est Ministri (ut jam dixi ex Graeco) ad ipsius Ecclesiae ministeria, ita ut Ecclesia militans correspondeat Triumphanti; Utraque est una, eademque Ecclesia, Unaque alteri connexa est, & subordinata. Multa de numero septenario scribit Origenes homil. 6. in Levitic. septem sunt Ecclesiae Sacramenta, septem columnae in domo sapientiae, 1. Thoverb. 9. septem hebdomadae defluerunt ante Pentecostem.

Plenus Spiritu sancto, ac prudentia. Quinta conditio; quia ad tantum ministerium non sufficit testimonium bonum, & externa bona existimatio, ac fama, sed etiam requiruntur optimae dispositiones, sanctitatis, ac prudentiae, quae per actiones externas declarantur, ac manifestantur, ut tanti Ministri recte adimpleant suas functiones. Constitutus super hoc opus. Arabicus super hoc negotium. Origenes in hunc usum. Caietanus, super hanc necessitatem, ut tot, & Origen. tanti viri patienter, ut ait Occumenius, sustineant Occum. murmuraciones, & oblationes orphanorum, & viduarum, quia ad hoc magis viri requiruntur.

Vers. 4. Nos vero orationi, &c. Syriacus: Nos vero perseverabimus. Arabicus: Instabimus. Chrysof. praedicationi incumbemus. Arias: Percurabimus. Aethiopic. Nos occupati erimus. Sub oratione non solum intelligo meditationem, & contemplationem, sed etiam sacrificium Missae, quod nobilissimum, & altissimum orationis genus est, & in scriptura hoc nomine significatur, Hebraeos. 5. n. 7. Qui in diebus carnis sua precibus, supplicationesque ad eum, &c. Deinde Apostoli sibi adscribunt munus praedicationis, per creationem ascendunt ad Deum, & per praedicationem descendunt ad bonum proximorum, ait Lyranus, ad modum Angelorum in scala Jacob ascendentium, & descendentium, Genes. 28. n. 12.

QUAESTIO III. Quare sacri Apostoli volunt se abstinere a mensis ac eorum ministerio?

16. Inquiunt sacri Apostoli: Non est aequum, seu juxta alias lectiones Non est commendabile, pulchrum, conveniens, nos omittere praedicationem, & doctrinam divini Verbi, ut praclarissimum misericordiae opus, quo pauperulis viduis pabula ministrantur. D. Hieronymus in cap. 2. Malach. sic ait: Sanctum utique, & Apostolicum ministerium viduis, & pauperulis ministrare. Et non oportet, inquam, dimisso verbo Dei, ministrare nos mensis. Quando ob divini Verbi semina vix permittitur baptizare, aut elemosynas erogare, ut munus adimpleatur, nec alio divertatur, quando cum piculo faciunt; qui temporalibus, ac mundialibus implicati divini Verbi jacturam contemnunt. Discant a SS. Patribus D. Basil. D. Chrysof. D. Nazianz. & D. August. qui ita praedicationi, ac spiritualibus negotiis erant addicti, ut temporalia, ac mundana, nec loqui, nec audire volebant, ut constat ex eorum vita.

17. Quod non solum est faciendum, ut omittantur temporalia, sed inter res ipsas spirituales agendum id quod magis necessarium, ac utile est, quod nos docet omnium Magister Christus Jesus, ut scribit Joan. cap. 4. n. 1. Quamquam Jesus non baptizaret. Quia ut docent noster D. Cyrill. D. Thom. D. Bonavent. Lyran. & alii erat ipse supremus Magister occupatus in rebus gravioribus docendis, praedicanis, ac illuminandis gentibus in altissimis mysteriis, ad cujus imitationem dicebat Paulus 1. Corinth. 1. n. 17. Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare, tam excellentium, ac sublime munus est praedicare, ut etiam caeteris spiritualibus, ut baptizare, sit praefendus. D. Anselm. ibi: Quia igitur & minores possunt baptizare, qui sapientiam, & virtutem praedicanis non habent: ideo non baptizare missus est Paulus, ne retardaretur a praedicatione, sed evangelica semina spargeret.

18. Judas marsupium Apostolicum secum asportabat, inde quarunt communiter Doctores cur hoc ei fuerit a Christo commissum, cum opinem eum agnosceret esse latronem ut de eo scribit D. Joan. 12. n. 6. Fur erat, & loculos habebat. Quam quaestionem tractavit tom. 5. in Evang. lib. 7. cap. 1. q. 10. ad eam respondet Theophylact. Nonnulli aiunt ideo creditam Judae pecuniarum dispensationem, ut minorem aliis; nam pecuniis ministrare; minus est quam doctrina; sicut in altis dicunt Apostoli: Non licet nobis relicto sermone ministrare mensis. Haec est alta, & superna dispositio, ut majoribus majora, minoribus minorata dantur, ut ponderat S. Gregor. Magn. homil. 34. dicens: Hi autem, qui minima nuntiant Angeli, qui vero summa Archangeli vocantur. Hinc est quod ad Mariam Virginem, non quilibet Angelus, sed Gabriel Archangelus mittitur.

Act. 6. n. 3. Considerate ergo fratres, viros ex vobis boni testimonii septem plenos Spiritu sancto, & sapientia, quos constituamus supra hoc opus.